r *Celſus.* [r] Celſus et Philotimus aliter crediſiſſe putentur. Inſipidos eſſe niſi cum ſuis faecibus edantur, creditum apud Graecos. Jecur in cibo ſumptum ictericis prodeſſe, apud [s] Aelianum legimus. s *Aelian. H. A. l. 14. c. 2.*

ARTICVLVS II.

De Turdo.

TAB. XIII. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Turdus Graecis κίχλη a macularum ſimilitudine ſic dictus, πολυώνυμος olim teſte Nicandro et Pancrate apud [a] Athenaeum fuit. (a *Athen. l. 7.*) Duo ipſorum *Genera* conſtituit Salvianus, *Majorem* et oblongum, qui vel viridis vel ruber eſt. Rondeletius duodecim ſpecies pinxit. Veteribus, apud Athenaeum μελανίϛικτος, ſeu nigris oculis varius. Eratoſtheni πέρκας ſeu nigro diſtinctus, Pancrati οἰνώδης quaſi vini colorem referens, Numenio ἁλιειδής, id eſt purpureus dicitur. Phavorinus ποικιλόϛικ]ον vocavit. Mutare tamen colorem dicuntur. [b] Circa ver magis exſaturatos, dilutos magis aeſtate videas. (b *Ariſtot. H. A. l. 8. c. ult.*) Branchias ipſis quaternas Ariſtoteles [c] tribuit omnes duplici ordine excepto noviſſima. (c *Ariſtot. H. A. l. 2. c. 13.*) Quinque ſunt ab Aldrovando obſervati, duodecim a Rondeletio. *Primus*, qui magna ex parte aureus, amethiſtino, caeruleoque ac rubro variat, os intus habet ruberrimum, dentibus carens. Oculos maximos, quorum auream pupillam circulus ambit niger, nigrum rurſus aureus, aureum caeruleus, hunc iterum aureus, ac tandem niger, alias omnes ambit. Habet et duas e mento dependentes apophyſes cutaceas, ſubflavi coloris; tres prae caeteris lineas ſanguineas, et denticulatas. Pinnas ad branchias omnino aureas, in pectore totas caeruleas, nervos earum aureos. Cujus coloris ſunt et illae, quae ab ano, in dorſo et cauda, qua uropygio junguntur, maculis duntaxat parvis ſanguineis reſperſas, caeteras caeruleas conſpicias. *Secundus* ad latera nonnihil albicat; in capite vermicularibus, alibi rotundis, ubique caeruleis maculis inſignitur. Tergoris pinna ex aureo rubet, ſicuti et cauda, quae in extremo caerulea eſt. Utrinque dentatus eſt. *Tertio* Corpus ſubviret, venter albicat. Squammarum extremitates caeruleae ſunt. *Caput* pro corporis proportione parvum, totum caerulei ſed dilutioris coloris, praeter branchiarum opercula, quae candicant, maculisque oblongis et ſemicircularibus aureis conſperguntur. Ejuſdem coloris lineae decuſſatim et tranſverſaliter per corpus ducuntur. Dentes habet maximos, acutiſſimos, ingentemque oris rictum. *Quartus* toto corpore ſanguineo, aureoque diſtinguitur; dorſum et corporis maculae ex caeruleo nigricant. *Quintus* πολύγραμμος, totus ruber ſaturatus. Maculae in extremo tergore conſpicuae, Orriſcis non abſimiles, ſunt nigrae, in capite longae, et ſerpentis in morem fere contortae, caeruleae. Lineae a capite ad caudam recta ductae, rubrae ſunt.

Turdus *Rondeletii Primus* admodum varius eſt. Unde αἰολος dictus; ad auratae figuram accedens, pinnarum ſitu numeroque caeteris ſaxatilibus ſimilis, dorſo fuſco, ventre ex albo liveſcente. Dentes habet recurvos, labra craſſa, et rugoſa. Oculos ſub quibus pars variis coloribus eſt illuſtris, magnos et rotundos. Pinnas ad branchias aureas, ad podicem et in tergo flavas, nigris caeruleisque maculis aſperſas. *Alter* colore eſt ex viridi caeruleo, et quia colorem colli Pavonis in pinnis et in cauda refert, Pavo dicitur. *Tertius* qui Pulcher dicitur, et a quibuſdam *ferculum regium*, multas colorum differentias habet. Viridis eſt magna ex parte, ſed punctis purpureis, caeruleis, Indicis, et aliis confuſis coloribus conſperſus; pinnis ad branchias flavis ſeu rufis, aliis omnibus partim caeruleis, partim viridibus, partim rufis. Branchiarum operculis punctis et lineis